





10

17

1704, 4

AUXILIANTE DEO SUMMO

PERMISSU

MAGNIFICÆ FACULTATIS JURIDICÆ IN

PERANTIQUA GERANA

PRÆSIDE

VIRO PRÆNOBILI ATQVE CONSULTISSIMO

DOMINO

JOHANN. HENRI-  
CO MEIERO,

JCTO, PROFESS. DECRETAL. PUBL. FA-

CULT. JURID. SEN. JUDIC. PRO-

VINC. ASSESS.

RESOLUTIONEM

L. XXXV. ff. de Pœnis.

SEU MATERIAM

DE

PERPETUIS  
CARCERIBUS,

Examini Eruditorum publico

submittit

JOH. WILH. von Schreter /

AUTOR

In Auditorio Juridico Majori

Die Aprilis, Horis Solitis

ANNO MDCCIV.

ERFORDIÆ,

Litteris JOH. HENR. Grosch, Acad. Typogr.

245







IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Labores hos nostros bono omine incipimus cum  
Imperatore in *proem. Inst. in princ.*

PRÆFAMEN.

**U**niversi corporis civilis systema in tres  
status principales, Ecclesiasticum ni-  
mirum, Politicum & Oeconomicum  
distribui tralatitium est, quos vernacula  
nostra den Lehr = Wehr = und Mehr =  
Stand appellare solet; de quo medio summus  
noster Legislator Imperator Justinianus in *pr. Con-  
stit. de Justin. Cod. confirm. summam tuitionem  
Reipublicæ de stirpe duarum rerum, studio nimi-  
rum armorum ac legum esse edixit; idque notan-  
ter repetit in pr. proem. Inst. Majestatem & ar-  
mis decoratam & legibus ornatam volens eum in  
suam, ut utroque tempore & belli & pacis recte  
possit gubernari Respublica.* Exinde Respublica

A 2

ali-

nd 18

aliquando servire studentes his laudatis utilis-  
 mis scientiis junctim incumbendo, nil nisi jussa ista  
 Imperatoria facere satagunt. Cujus rei gratia  
 Magnates Academiarum fundatores inter cœte-  
 ra benè prospexerunt, ut in iis unà cum studiis  
 literariis lingvisque exercitia quoque equeſtria  
 & militaria florerent; horumque beneficiorum  
 accepta emolumenta in perantiqua doctissima ac  
 fortissima Electorali Moguntina Erfordia nostra  
 virtutum togatarum sagatarumque nutrice in-  
 chlyta citra ingratitude maculam deprædicando  
 præterire nequeo, tandem equidem desuper mihi  
 tyrocinia profectuum facere jusso tum fortissimum  
 bujus loci militare præsidium Casareanum servi-  
 tia præstare voluntaria, quæ vocant, gratiosè  
 concessit, tum amplissima Facultas Juridica lega-  
 le hoc specimen publicè proponere ac defendere  
 benevolentissimè permisit, cujus argumen-  
 tum erit sequens

RESO-

RESOLUTIO.

*L. Mandatis principalibus 35. ff. de pœnis*  
Juxta Methodum distichi memorialis:

*Premitto, Scindo, Summo, Casumque figuro,*  
*Perlego, do causas, Connoto & Objicio.*  
Textus *l. 35. ff. de pœn.*

*Callistratus libro primo Questionum.*

*Mandata principalibus, quæ Praesidibus dantur,*  
*cavetur, ne quis perpetuis vinculis damnetur.*  
*Idque etiam divus Hadrianus rescripsit.*

PRÆMITTO.

§. I.

Cum Imperator Justinus per duos libros ff. 47. & 48. materiam criminum, cum privatorum, tum publicorum longâ seriè tractare instituit, in hoc posteriore pergit subjicere titulum de pœnis omnium scilicet delictorum coercitionibus, uti describuntur in *l. 131. §. 1. ff. de V. S.* In quo titulo quicquid juris de hac materia observandum fusiùs disponit & præcipis Judicem informat, quomodo in irrogandis pœnis prudentem & circumspèctum sese gerat, curatiùs considerando omnes ac singulos delictorum circumstantias ratione causa, personæ, loci, temporis, quantitatis, qualitatis, eventus &c. *l. 6. pr. l. 5. §. 2. l. 11. pr. & præserim l. 16. per tot. h. t.*

A 3

Dein

18

Dein varia pœnarum genera enumerat, & illas vel capitales, vel non capitales, istarumque subdivisiones passim in *b. t.* dilucidius tradit potissimum in *l. 2. pr. l. 6. §. 2. l. 28. pr. & §. 7. b. t.* Inter cetera specialiter quoque de custodia, carceribus & vinculis quædam constituit *l. 10. pr. l. 28. §. 7. & 14. l. 33. §. 4. ff. b. t.* Specialissimè tandem pergendo properat ad materiam vinculorum perpetuorum in *l. 35. eod.* quam legem auspicante Deo T. O. M. explicandam, jam sumimus.

SCINDO.

§. 2. Sæpè autem commemorata lex nostra commodissimè hanc admittit partitionem ut dispescatur in *inscriptionem* videlicet, in qua locus, unde lex est descripta, nimirum Callistrati liber primus questionum commemoratur, & *textum* ipsum constitutionem nempe prohibitivam circa carceres perpetuos continentem.

§. 3. *Vel*: Si magis visum fuerit, haud inconvenienter dividi etiam potest in Constitutionem de prohibitis perpetuis vinculis, quatenus illa principalibus mandatis, in specie rescriptò Divi Hadriani jam olim lata & postmodum emergente casu responso hic J. Cti in praxi sit observata.

SUMMO.

§. 4. Brevis quidem imò brevissima est lex nostra, adeò ut in arctius compendium redigi vix possit; Summari tamen potest hòc modò: *Liberum hominem ad perpetuos carceres damnare non licet, ita cum Glossa ad b. l.*

CASUMQUE FIGURO.

§. 5. Casus legis erit talis: Titius coram iudice variorum



rum graviorum & continuatorum excessuum & criminum reus factus est, ex quibus tamen non plane ad mortem damnari potuit ; Hinc de eo quaesitum , annon secundum qualitatem circumstantiarum carcere perpetuo sit puniendus? & juxta decisionem legis nostrae respondetur, quod non.

FERLEGO.

§. 6. Percurrentes nunc legem, verba & locutiones ejus omnes notabiles earumque mentem, vim & efficaciam explanabimus ubi in fronti spicio nobis occurrit Inscriptio talis : *Callistratus librò primò questionum*. Fuit autem hic Callistratus Jctus Consiliarius Alexandri Severi Imperatoris, vid: *Lexicon Calvin. sub verb. Callistratus Cluverius epit. bist. univ. in vita hujus Alexandri p. mibi 208.* qui de eo ejusque Collegis scribit; fuisse familiares Alexandri, & socios, viros amantes Principis sui qui de illo nec ipsi riserunt, nec risui esse voluerunt, qui nihil vendiderunt, nihil finxerunt, ad bonum facile consenserunt. Regnare verò coepit dictus Imperator seculo tertio circa A.C 222. 223. aut 224. prout in hoc differunt Cluverius *diel. loc. Hildebrand. in synopf. bist. univ. in ejus vita & Contii fasti Consulares.* Callistratum nostrum Crusius *de Indicis delictorum part. 3. c. 22. n. 52.* mercatorem fuisse scribit, eumque in finem allegat *legem 2. ff. de nundin.* sed exinde tale quid argumentari planè non possumus. In *l. 17. C. ad SC. Vellej.* fit mentio alicujus Callistrati, qui benè noster esse potuit, non obstante tempore longioris distantiae inter Alexandrum Severum, sub quo vixit Callistratus, & inter Diocletianum, sub quo rescriptum allegatae legis datum est, an-

no Christi 287. quia hoc rescriptum ad petitionem hæredum, quorum Pater jam antea cum Callistrato mutuum contraxit, emanavit. De multis materiis juris varios Jctus noster scripsit libros, tres nimirum Institutionum, uti constat ex rubrica *l. 21. ff. de SC. Vellej.* Item tres libros de jure fisci & populi *leg. 1. ff. de bon. damn. l. 1. 2. & 3. ff. de jure fisci* Calvinus in *Lexico dict. loc.* quatuor eorum fuisse asserit; quod confirmatur in Indice Autorum ex quibus est compositum digestorum opus, præmisso corpori Juris edition. Francof. in fol. Porrò libros sex de Edicto monitorio *l. 4. ff. de integr. restit. l. 9. ff. ex quib. caus. major. l. 29. ff. deneg. gest. l. 63. de legat. 2. & dict. Indice Autorum.* Nec non sex de cognitionibus *l. 3. ff. de testibus l. 7. ff. ad Jul. de adult. l. 12. & 13. ff. de custod. reor. l. 27. & 28. ff. de pæn.* Libros denique edidit duos de quæstionibus *l. 10. ff. de in lit. jur. l. 72. de evict. l. 48. ff. sol. matrim. & passim.* Ubi varia juris capita, ut etiam nullum est dubium, tractavit, (notante Gœddæo *ad l. 220. pr. ff. de V. S.*) ex quorum libro primo hæc lex nostra 35. est desumpta; Totum enim juris opus Digestorum ex antiquorum prudentum, quibus auctoritatem conscribendarum interpretandarumque legum sacratissimi Principes præbuerunt, scriptis & libris est compilatum teste *l. 1. §. 4. Cod. de vet. Jur. enuct.* Unde videmus, quod in laudatorum Jctorum honorem & auctoritatem unus quisque eorum, qui Author legis fuit, jussu Imperatoris cuique legi sit inscriptus, prout ipse asserit Imperator in *l. tanta 2. §. 10. C. de Vet. jur. enuct.* Et ideò definiuntur Pandactæ, seu digesta à Dn. Pottio in *præcogn. Jur. univ. sect. l. c. 3. §. 15.* quod sint volumen juris, in quoveterum Jctorum responsa certò ordine sunt disposita.

§. 7. *Mandatis principalibus, quæ a præsidibus dantur* cā-  
 veur, sic incipit textus legis nostræ; Mandati aurem vox  
 fumitur generalius pro omni jussu, ubi comprehendit  
 quoque contractum eum consensualem, in quo is, cui  
 mandatur aliquid, ab initio & re adhuc integrâ liberam  
 & recusandi & accipiendi habet facultatem, de quo agi-  
 tur in *tit. Inst. de Mandato & tit. ff. & Cod. Mandat. vel*  
*contr.* Specialius verò pro jussu isto, qui fit ab eo, cui  
 facultas ac potestas jubendi est, & sic dicuntur hîc man-  
 data principalia de quibus nominatim agitur in *tit. Cod.*  
*de mandat. Princip. & Novell. 17. junct. tit. ff. de Constit.*  
*Princip. & tit. Cod. de leg & Constit. Princip.* & sunt præ-  
 cepta seu monita, quæ à Principe certis personis dantur  
 Gothofr. in *not. ad rubr. d. tit. Cod. de mand. Princ. lit. b.*  
 sive per Epistolam, sive per Decretum, sive per Edictum  
 fiant, ut est in §. 6. *Inst. de jur. nat. gent. & cix. ibique*  
*Comment.* adde etiam Stranchii *Dissertationem de statut.*  
*à summo Principe.* Notandum verò de his est, quod per  
 scripta debeant probari, nec iis habeatur fides, quæ quis  
 saltem secreta ex ore Principis habere affirmat, l. 1. *Cod.*  
*de mand. Princ.* quod tamen suam habet limitationem,  
 ut in l. 2. *Cod. eod.* Alterum notabile est, quod ejusmo-  
 di mandata in Græca & Romana lingua per provincias  
 mittere solita fuerint per d. *Novell. 17. in præfat.* quò ni-  
 mirum ab omnibus subditis utriusque linguæ eò me-  
 lius poterint intelligi; quia hæ erant linguæ tum tem-  
 poris in forma anteriore Imperii Orientalis & Occiden-  
 talis maximè usitatæ, prout hodiè etiam in Imperio no-  
 stro Germanico expeditiones fiunt in lingua Germanica  
 aut Latina *Capitul. moderni invictissimi Imper. Leopoldi*  
*art. 43. & Regis Josephi art. 42.* Dari autem hæc man-  
 data.

B

data.

d. 18

data ad Præsides lex nostra dicit ; & erant Præsides omnes Magistratus, qui regebant Provincias sive Pro- Consules, sive Legati Caesaris, etsi Senatores essent *l. 1. ff. de Offic. Præs. id.* in quo titulo & *id. Cod. de Offic. Rect. prov.* latè de ipsorum munere & expeditionibus traditur *add. tract. de Magistrat. Rom. in complem. Lexic. Calvin. sub verb. Præsides provincia.* Vultejus in *Jurispr. Rom. lib. 1. cap. 13. vers. Magistratus provincialis pag. mibi 76.* Inter cœtera de criminibus cognoscebant & pœnas irrogabant Præsides *l. fin. ff. de Offic. præs. l. 1. Cod. ad Leg. Corn. de sicariis l. 1. §. 9. de extraod. cognit. l. 8. Cod. ad Leg. Fab. de plagiar. l. fin. Cod. de modo multar. l. 2. Cod. de pœn. l. 9. pr. §. 2. ff. eod. & passim.* Sed ubi extent hæc mandata principalia, ad quæ se refert Callistratus, quæri potest? respondemus plura fortè fuerunt, nos inquirendo reperimus unam Constitutionem Imper. Antonini Caracallæ ejusmodi decisionem continentem in *l. 6. Cod. b. t. A. C. 215.* & sic jam ante tempora Callistrati publicatam, cui etiam jungitur rescriptum Divi Hadriani in fine legis nostræ nominatim allegatum, de quo infra §. 12. in fin.

§. 8. *Ne quis*;) pergit textus, quibus verbis subjectum legis nostræ absolvitur. Ne quis hominum nimirum liberorum non servorum, [*ut infra à §. 14.*] ita damnetur sive sit masculus sive fœmina *l. 1. ff. de V. S. l. 3. §. 1. de lib. bon. exhib.* quæ interpretatio omnem sexum includens etiam in causis pœnalibus locum habet, norante Gœdæo *Comment. ad d. l. 1. ff. de V. S. n. 53.* Præsertim cum in proposita lege nostra 35. decisio sit pœnæ exclusivæ & ideò ob favorem extensio facilius admittenda *cap. 15. X. de R. l. in 6to.* Insuper aliàs fœminæ non facilè in carcerari solent & circa earum incarcerationem multò cautius proceditur

ceditur l. 3. & *Arb. hodie Cod. de custod. reor.* Notatur quoque proximè suprâ diximus *hominem* esse subiectum legis nostræ adæquatam, hominis enim causa omne jus, quoad vim obligatoriam nimirum, est constitutum l. 2. ff. de *stat. hom.* unde rectè oicitur jura non obligare bruta & illa legibus neque obedire, neque contra eas delinquere posse, quia rationis, voluntatis seu *proprietatis* incapacia sunt l. 1. §. 3. ff. si *quadr. paup. fec. dic. pr. Inst. eod. in fin. ibique Comment. Wesenbec. aliq;* Ubi autem nullum est delictum, ibi etiam poena ulla infligi nequit arg. l. 22. *Cod. de pœn.* Quod verò in enormibus hominum flagitiis bestia ad ista peccaminosè adhibita quandoque simul morte afficiantur, e. g. in Sodomia *Levit. 20. v. 15. & 16.* vel iu alio facto pecudis extraordinario cruento, ut *Exod. 21. v. 28.* & uti Zieritzius ad *Const. crim. Car. V. art. 116.* de sue puerum necante & magnam partem vorante refert, hoc fit, non ut puniantur bestia; sed ne superstites in conspectu hominum veritantes indignam facinoris memoriam refricent, & omne scandalum aboleatur in terris prout loquitur *can. Mulier 4. qv. 1. Caus. 15. Carpz. pr. crim. qv. 76. n. 32. seqq. & qu. 131. n. 16. Gribald. Mopha tract. de homicidio cap. 2. n. 16. & 17. Obrecht de jurisdict. lib. 2. c. 12. n. 8. seqq. Zeppender. Legic. Mosaic. lib. 1. cap. 11. p. m 88.*

§. 9. *Perpetuis vinculis damnetur*] sequitur in lege nostra, quibus verbis intelligitur sive ad carcerandum sive ad vincendum hæc irrogentur vincula in quo generaliori significato legitur vox vincula etiam in l. 9. ff. *ex quib. caus. major. l. 4. 8 ff. de V. S.* & ita explicat lex nostram antecedens §. 9. h. t. ubi inter se distinguuntur carceres & vincula; carcer enim sine vinculis quoque esse potest

test l. 216. ff. de V. S. Vincula verò in specialiori significatu sub se continent compedes, lautumias, pedicas, manicas catenas, &c. d. l. 9. ff. ex quib. caus. maj. Calvin. Lexic. in verb. vincula. Et sunt vincula, generaliter quoque sumta, alia publica, alia privata l. 224. ff. de V. S. illa auctoritate publica à Magistratu, hæc à persona privata infliguntur, uti sunt ea, quibus Domini servos suos coërcere solebant l. un. Cod. de emend. Serv. Modicè tamen privati carceres sub gravissima pœna sunt prohibiti tot. tit. Cod. de priv. can. in lib. exceptis casibus quibusdam explicatis à Carpzovio pr. crim. q. 111. n. 78. & segg. Scotan. Exam. Jurid. ad tit. Cod. de priv. carc. pag. m. 946. & Comment. ad d. tit. Cod. De cœtero vox vinculi in jure nostro pro nexu ex obligatione vel respectu aliquo descendente sumitur, qua ratione dicitur vinculum juris in pr. Inst. de Obligat. Vinculum cautionis in l. 40. ff. de Vulg. & pupill. subst. Vinculum religionis l. 1. Cod. de in lit. jurando Vinculum censuale l. 4. §. 8. ff. de Censibus Vinculum necessitudinis, vel affinitatis l. 9. ff. de suspect. tut. &c. Sed prolixiores citra necessitatem hic esse nolumus, pergendo & ponderando, quid in lege nostra sit, quòd dicantur vincula perpetua: Damnari ad vincula perpetua nihil est aliud, quam ad dies vitæ includi aut carceribus addici per ea, quæ habentur in l. 1. princ. ff. pro socio. Apud Ciceronem testante Gothofredo innot. ad l. 8. §. 9. b. t. lit. K. vincula ejusmodi dicuntur sempiterna, quibus non incongruè correspondet phrasis nostra germanica ewig Gefängniß art. 101. Ord. crim. Carol. V. Voce hæc æternitatis sumtâ in sensu juridico & politico pro perpetuitate hujus existentie & vitæ, non in sensu theologico, quo æterna damnatio post hanc vitam

vitam & mundi interitum in secula seculorum sine spe alicujus finis unquam futuri dici assolet.

§. 10. Desinit tandem lex nostra in hæc verba: *Adque etiam Divus Hadrianus rescripsit*: ubi considerabimus, quis Hadrianus? & quæ ejus rescripta? Imperator hic indigitatur *Ælius Hadrianus*, qui Imperio præfuit juxta Contii *fastos Consulares* ab anno Christi 119. usque ad annum 139. inclusivè, etsi alii Historici annum 117. & 118. ponant, ut Cluverius & Hildebrand *in vita ejusdem*. Fuit eruditus & jocofus Princeps, Judæis primum urbem Hierosolymam reædificare concessit, eamque occasione sui nominis *Æliam* nuncupavit, Judæorum postmodum à primo ipsorum Pseudo Messia Barchochebo ad seditionem incitatorum magnum numerum Israëlitarum ex Ægyptiaca servitute egressarum quantitatè fermè exsuperantem, ultrà sexcentum mille cruentà clade perdidit. De hujus vità & factis sanè insignibus, cum historici Cluverius, Hildebrandus, Matthiæ *in hist. univ.* Aventinus *Dehrische Chronick. lib. 2. fol. m. 193. & seq.* (qui etiam quosdam Hadriani nummos recenset) aliiqve vitas Cæsarum tradentes fufius tractarint, nos hic plura allegare libenter superfedemus, hoc unicum saltem addentes, quod Faustina Imperatoris Marc. Aurelii Antonini Philosophi uxor impudicissima & adulteriis maximè infamis, nostri Hadriani fuerit filia, prout notescit ex antiqua inscriptione apud Fleetvodium *Inscription. antiquar. pag. m. 104. n. 3.* hujus tenoris: *Faustina. Aug. Imp. Cæs. T. Ælii. Hadriani Antonini. Aug. Pii. P. P. Tr. Pot. X. Imp. XI. Cæs. IIII. Filia.*

*M. Aureli. Cæsaris. Uxori.*

Cujus Faustinae faciem impudicos mores ostendentem

B 3

ex

ex statua antiqua sculptam dedit Gio. Battista della Porta nella *Fisonomia lib. 5. cap. 21.*

§. II. *Divus* verò appellatur Imperator noster à solito tùm temporis more consecrandi Imperatores, Coniuges conjunctosque eorum, quem *ἀποθιασίου* seu relationem inter Divos vocabant, & fiebat iussu Imperatorum, potissimum successorum consentiente Senatu hòc ferè ridiculò modò: Mortuò videlicet Imperatore quàm sumtuosissimè sepultò ceream imaginem ipsi simillimam fingeant, eamque instar ægroi pallidam in vestibulo Regis supra lectum eburneum ponebant, circa quem Senatores & illustres Matronæ albis induti vestibus sedebant, Medici quotidiè quasi de ægritudine quærentes accedebant; hisce per septem dies continuatis obisse dicebatur Imperator, lectus ab equitibus & Senatoribus ad forum, ubi Magistratus Romani falces deponere consueverant, deferèbatur, unde lamentabilibus hymnis emodulatis ad campum Martium deportabatur, ibique cremabatur effigies, multis denique solennitatibus intermediis finitis, in censò tabernaculò, ubi imago funeraria erat, simul ex aliò ultimò tabernaculò, ad hunc ritum exstructò, evolabat aquila, quam in cœlum attollere animam Principis credebant; & sic postea tali modò consecratus ut Numen colebatur, *Divusque* appellabatur; interdum etiam templa, ludi & Flamines magnis sumptibus ipsis fuerunt dicati, ut cultus eorum postmodum ritè exhiberetur plura de his vide ap. Herodianum *lib. 4. & ex eo cum multis explicationibus Kipping, Inst. Polit. lib. 1. cap. 8. Hildebr. antiq. Rom. sub verb. Consecratio Dn. Schmidius in pietat. ex numm. delin. Numm. 12. 21 23. & 26. & in Explicat. nummism. Arnsbad. numm.*



numm. arg. n. 5. *Aventini Beyrische Chronick lib. 2. fol. 196. edit. Francof. de a. 1580.* Sed non semper virtutes Principum motiva hujus honoris conferendi, nec vitia impedimento fuerunt, unde Imperator Antoninus Pius precibus obtinere difficulter potuit, ut Senatus in consecrationem Hadriani nostri consentiret, ob nimiam tyrannidem & caedem quorundam civium, *Matthiae bist. univ. sub vita Hadriani* cujus rei unum pra aliiis singulare praebet exemplum Severianus, qui antequam iussu Hadriani nostri jugulabatur, thure incenso, *Vos* inquit, *Dii testor, me nihil mali commississe de Adriano, imprecor, ut eum mori cupies non possit*; quod etiam agonizante Hadriano evenit. Cluverius & Hildebrand. *bist. univ. sub hoc Imp.*

§. 12. Multas perutiles & saluberrimas tulit alias Hadrianus noster Constitutiones, inter quas pra caeteris eminent notissima illa Epistola Divi Hadriani, qua fidejussoribus beneficium divisionis inter se concessit. §. 4. *Inst. de fidejuss.* Nec non Edictum ejus utilissimum de mittendo haeredem in testamento scriptum in possessionem hereditatis, de quo *vid. l. 3. Cod. de Edicto Div. Hadr. coll.* Unde passim in aliis negotiis quoque hujus Hadriani constitutiones non solum in Codice, sed & Pandectis allegatae reperiuntur. v. g. *l. 26. ff. de fidej. l. 7. pr. ff. de appell. recip. vel non l. 22 pr. ff. de us. & habit. l. 8 ff. de Divort. & repud. l. 33. ff. de re jud. l. 15. ff. b. e. l. 14. ff. ad Leg. Corn. de Sicar. l. 6. ff. de cust. & exhib. reor. l. 6. §. 7. ff. de re milit. l. 15. §. 2. ff. de jur. fisci l. 4. §. 1. l. 16. §. 5. ff. de publican. l. 5. ff. de decretis ab ord. fac. l. 14. §. 6. ff. de Muner. & honor. l. 1. C. Si mancip. ita venier. ne proffit. d. l. 3. Cod. de Edict. Div. Hadr. coll. l. 3. Cod. de constit. pecun.*

Hoc

Hoc autem Rescriptum quod hic in nostra lege 35. de pan. allegatur, in forma, seu quoad verbalem tenorem in juris nostri hodierno Corpore non reperitur, fortè quærendum in Codice Gregoriano antiquo, si ad manus haberi posset, qui Constitutiones Imperatorias ab Hadriano nostro ad Valerianum usque collectas habebat, ut notat Gothofredus in not. margin. ad Constit. de novo Codice faciendo lit. b.

## DO CAUSAS.

§. 13. Ordo nunc requirit, ut rationes, quæ Ictum ad decisionem negativam quæstionis de infligendis perpetuis vinculis in hac lege moverunt, explanemus. Primò autem occasionem dedit ad dubium hoc resolvendum, quod Iudices erant in Romana Republica, qui fortè ex prava aliqua consuetudine ad perpetuos carceres reos condemnari solebant, ut apparet ex l. 8. §. 9. ff. b. t. & l. 6. Cod. eod. Ad decisionem talem negativam faciunt juris civilis rationes sequentes, ac sic *Secundò* quod carcer principaliter custodiæ & continendi non puniendi hominis ergò constitutus d. l. 8. §. 9. ff. b. t. cui etiam convenit hodierna Const. *Crim. Car. art. 11. Tertio* expresse in l. 71. §. 2. ff. de condic. & demonstr. sancitum est, quod nec mansio perpetua in civitate, vel loco aliò libero homini injungi possit, ne libertas infringatur; non enim differunt à specie servientium, quibus facultas non datur recedendi l. 2. ff. de lib. hom. exhib. *Quartò* autem servitus pœnæ, quæ olim atrocitate sententiæ civitas & libertas adimebatur §. 1. Inst. de capit. dimin. ibiq; *Commendator. l. 8. §. 4. l. 29. ff. b. t. §. 3. Inst. quib. mod. ius pair pot* jure Novellarum penitus est abrogata *Nov. 2. cap. 8. & Arb. Sed hodie Cod. de don. inter vir. &*

ux: Quinto non licet Iudici insolitas & legibus non approbatas pœnas indicere l. 8. §. 1. & 3. l. 25. §. 1. ff. b. s. Hartm. Hartmanni *Pract. for. tit. 50. observ. 4. n. 11.* Et Sexto cum, ut in ipsa propositâ lege dicitur, rescripto Divi Hadriani & mandatis Principum aliis jam dum constitutum erat; ne damnationes perpetuorum vinculorum fierent, Jctus noster non contra has sacras jusiones & leges l. 1. pr. & §. 1. ff. de const. Princ. sed potius secundum eas responsa sua dare, nec ab iis recedere, obligatus fuit l. 5. Cod. de legib. in verb. tantum prohibuisse sufficiat l. 29 ff. de LL. can. 3. dist. 4.

## CONNOTO.

§. 14. Ex antedictis nunc patet primitus, quod perpetuorum carcerum pœna prohibeatur irrogari homini libero, servo non item, hic enim à tali pœna non excluditur, ut patet ex l. 6. Cod. b. s. & l. 8. §. 13. ff. eod. cui ad stipulatur Glossa ad legem nostram 35. nec enim quoad eum multum gravis pœna videtur, postquam jam servitute adstrictus est. Menoch. arb. jud. qu. lib. 1. qu. 89. n. 8.

§. 15. Alterum consecutarium est, quod carcer pœnalis perpetuus hic sit prohibitus, non ille planè, qui custodiæ causâ fit, non obstante eo, quod tradit Menoch. arb. qu. lib. 1. q. 49. n. 7. hinc furiosus ratione furoris non tantum sed si factò suo in furore nocuerit à necessariis suis, vel his deficientibus aut non satis idoneis, aut etiam negligentibus, à Magistratu ipsò vel cum vel sine vinculis detineri debet l. 13. §. 1. l. 14. ff. de Offic. Præs. l. penult. §. 2. ff. ad Leg. Pompej. de part.

§. 16. Tertium notabile erit, si nihilominus contra jura liber homo ad perpetua vincula ita damnatus fuerit per sententiam fortè Judicis aut ad interrogata per

C

respon-

responsum prudentum, quid executori iudici in hac notoria iniustitia faciendum fuit? Rem bene explicat *l. 9. §. ii. ff. de pen. ab iniustitia sententiæ liberandum esse reum*, non tamen hoc fieri posse à iudice, sed rem ad Principem referendam esse, ut ex autoritate ejus pœna vel mutetur, velis liberetur.

§. 17. Sed & hæc prohibitio perpetuorum carcerum ita se habet de jure civili, secus de jure Canonico *cap. quamvis 3. X. de pœnis in 6to.* in quo differt specialiter inter cœtera de jure civili Streitmänn *de differ. jur. civ. & can. pugn. 17.* Hartm. Hartm. *Pr. act. fur. tit. 50. obs. 4. n. 4.* Menoch. *arbitr. jud. quæst. lib. 1. qu. 80. n. 10. & II.* ubi in personis ecclesiasticis magis solita est hæc pœna, quia sangyinis pœnam iudex Ecclesiasticus non infert *cap. 9. X. ne cler. vel Monach. can. 30. qu. 8. C. 23.* & non facile ad mortem traditur delinquens iudici seculari, nisi summa urgente necessitate, Höpperus *de vera jurisprudentia lib. 6. tit. 25.* & in atrocioribus criminibus, ut in crimine falsi, *cap. 7. X. de crim. falsi.* obstinatæ & incorrigibilis hæreseos *cap. ad abolendam 9. X. de heret. cap. 12. eod. in 6to & c.* Si autem ita traditur clericus delinquens, prius degradari, seu gradibus, ordinibus & beneficiis ecclesiasticis, maximè per actualem sacrorum signorum habitus & instrumentorum ablationem privari & spoliari solet, prout patet ex *textibus proximè allegatis.* Sic sub pio IV. Pontifice Cardinalem Caraffam, ad mortem condemnatum, sepositò prius pileò & aliò habitu Cardinalitio, strangulatum legimus adud Tröster, in *Sueton. Pontific. sub vita Pii IV.* Et Monachus Portensis Monasterii propè Naumburgum, incendiarius nostræ Erfordiæ A. C. 1471. cum forcipum cadentium & vivicrematio-

mationis supplicium in eò esset exsequendum, antea canonico ritu degradatus fuit Dn Gudenus *in bist. Erford. lib. 2. §. 28.* Item exemplum nobis est adhuc recens notissimum, ubi miles primi Ordinis, Eqves Ordinis Johannitarum ob crimen militare commissum condemnatus antè irrogationem poenæ honore & ornatibus equestribus exutus pedibus protrusus solenniter ex Ecclesiâ simul & ordine ejectus est. vid. Hildebrand *Continuat. Synops. bist. univ. sub aò. 1693. pag. m. 91.* Quam actualem degradationem inter status Augustanæ Confessionis addictos, casu aliquò emergente, inter dum quidem adhuc servatam, sed non ita necessariam esse notant Dn. Stryckius *in addit. ad Brunnem. jus Eccles. l. 2. cap. 19. §. 4. verb. per actualem.* Masur. *Labeo in homicid. excus. cap. 43. n. 24.* Idque ob nimios sumtus hic requisitos, de quibus Status Imperii jam olim in suis gravaminibus *art. 31.* conquesti sunt, & quod ita sæpè pessimi malefactores impuniti remaneant, uti benè addid. Author Labeo; inde exempla rariora & præter illud quod Dn. Stryckius allegavit mihi nullum hætenus obvenit. De formalibus verò & aliis juribus circa hanc degradationem videndi sunt *in specie c. 2. X. de poenis in 6. Ungebaur ad decretal. tit. de poen. n. 3.* Dn. Döpler *in theatr. poen. part. 1. cap. 62.* Crusius *de Indiciis delict. part. 4. cap. 51. per tot.* Maranta *in speculo part. 4. dist. 71.* Menoch. *arb. jud. qv. lib. 2. Cas. 415.*

§. 18. Non solum de Jure Canonico, sed & Moribus & Legibus hodiernis Imperri nostri germanici custodia & carceres perpetui emergentibus casibus dictari, non in solitum est per textum expressum *§. 5. D. art. 101.* ubi tamen observandum, ut delictum poenam mortis aut similem mereatur, aut si poena mortis locum

non habeat, & tamen duriore, quàm poenà fustigationis dignum sit crimen, aut si delinquens ita dissolutus sit ac remerarius, ut ab eo deteriora damna & insignia scandala vinculis solutis metuenda; itidem si quandoque ex singulari Principis clementia capitis poena remittitur & de securitate nihilominus prospiciendum sit, vid. Carpz. *pr. cr. q. III. n. 61. 62.* Dn. Döpfer *theatr. pæn. p. I. c. 10. n. 6.* Richter *vol. 2. Consil. 346.* Mantius, Zieritz & alii Comment. *ad. d. §. 101. Const. crim. Car.* qui plura habent præjudicia.

§. 19. Crimen hæreseos quod attiner supra §. 17. jam ex canonibus deduximus, ibi interdum perpetuum carcerem infligi posse: Jus civile si intuemur, ultimi supplicii in hæreticos est statuta poena in *l. 5. §. 8. Cod. de hæret.* ast nec ibi indistinctè, sed solùm certò modò docente §. *fin. d. l. 8.* alias deportationis & cæteræ poenæ indictæ videntur *d. l. 8. per tot.* inde Wesenbec. *paratit. ad Cod. b. t. n. 6.* eò collimat, quod in citatis legibus verba, *ultimum supplicium* non mortem, sed aliam veluti deportationis poenam inferre deberet, ut contradictio evitetur, quæ in *l. 5. Cod. de hæret. ibi in verb. de civitate pellendis & ultimo supplicio tradendis* aliàs apparet, *qui Author omnino videndus.* Sic ut sit, in terris protestantium etsi hæresis, quà talis, morte non puniatur, sed rei miseri tentatis aliis remediis convenientibus informentur, & quoad poenam ultra relegationem in casu incorrigibilitatis vix procedatur, de cætero soli Deo, conscientiarum Domino res comittatur; nihilominus, si hæretici hæresi sua fiunt seditiosi aut blasphemii eò gradû, quò capitalis poena locum habet, morte etiam puniuntur, vid. Carpz. *pr. cr. q. 44.* Colerus *decis. 177.* & sic anno

anno 1636 Johannes Adelgreiffius quidam, qui se Deum Patrem profitebatur, de magia quoque & adulteriis convictus gladio plexus & combustus est Regiomonte Borussiae, ut notavit Cluverius in *appendice ep. bist. univ. lib. II. pag. m. 728*. Hinc suspicaretur, quod haereticus talis contumax, in republica inquietus, blasphemus & scandalosus sit, sed non in tantum, ut ad poenam mortis devenire posset, vel etiam mentis ab alienatio intermisceretur, quod etiam innuunt praedicta apud Carpozovium *prax. crim. d. qv. 44. n. 48. & 49. ibi in verbis auch keine Wahnsinnigkeit oder Verrückung der Vernunft an Ihme gespühret oder vermercket würde*. Tunc nihil prohibet, sed optimum remedium foret talem includi custodia, tum in sui majorem coercionem, tum ut scandala & motus publici alias in evitabiles reprimerentur, prout in vicinia ejusmodi fanaticum quendam custoditum novimus. Quales vero esse debeant haec custodiae describitur in *clement. I. de haeret.*

§. 20. Articulus 176. *junct. art. 195. P. N. D.* alium nobis subministrat casum, nimirum, quod ii, qui vel post poenam alicujus criminis & cautionem de securitate praestitam contraveniendo, vel alias simpliciter primitus de vi & injuria aliqua atroci inferenda minantur, carceribus mancipari soleant, donec de non offendendo satis cautum dent, unde si, quod saepe in hominibus vilioribus fieri solet, non possit reus satisfacere huic praeepto, vel praestita cautione nihilominus ita pergat, in perpetuum carcerem porrigitur ubi tamen prout *d. art.* notanter monet, bene advertendum, ne in quibuslibet minis simplicibus ex pruritu iracundiae ab homine alias honesto & talia exsequi non solito prolatis ad hanc inclusionem

personalem statim procedatur & sic ex præcipitantia in excessu; aut è contrà, si formalem diffidationem involvant minæ (de qua *l. 9 ff. de extraord. crim. & art. 128. P. N. D.*) in defectu à Judice peccetur, vid. Comment. ad *d. art. 176. & 178. Carpz. pr. crim. qu. 36. per tot. & qu. 111. n. 60. 61. 62. Berlich part. 4. concl. 22. junct, concl. 21. & 23. Coleus decis. 232.*

§. 21. Plura quoque circa irrogationem ejusmodi inclusionis perpetuæ consideranda veniunt, ut si persona propter eminentiam, aut certam reverentiam & respectum, aut ob metum seditionis, majoris vè periculi morti non sit tradenda, vel cum talis sit, ubi par, nullo existente in hâc causa superiore, in parem non ita procedere, nec persona metu majoris damni aut scandali, etiâ familia evenientis, in publicum dimitti possit, & quod vel arctior vel laxior & regulariter sine vinculorum injectione esse debeat ejusmodi detentio, nisi obstinatio sit reus, sed eum in casum diligentioribus obstructionibus & obserationibus locus carceris, seu custodia muniendus sit, hæc omnia usus magis & exempla passim in historiis obvia edocent, cum majores casus in JCrorum decisionibus pauci inveniuntur, quippe potissimum in secretis consiliis tractari soliti: aliquos ex historiis publicis referamus, quos tamen non omnes, nec in omnibus circumstantiis causarum & modi approbare audemus, sed nudâ recensione B.L. damus, ut inde, quid in hac re interdum factum & usu evenire soleat, eò melius cognoscere & thesin nostram judicare queat. Angustia pagellarum impediti non omnes circumstantias extrahere potuimus, quasdam noluimus, multos casus, quos proferre potuissemus, omittere satius nobis visum, cum tyrocinio nostro laxiorem in hac re scribendi & differendi libertatem in  
conve-



convenientem putavimus, Lectorem ad ipsas historias & ulteriolem disquisitionem remittentes, quæ historiae etiam evincunt, perpetuos carceres & olim & novius apud diversas Gentes in usu fuisse, quod etiam innuit Menoch. *arb. jud. qu. lib. 1. q. 89. n. 2.*

§. 22. In schismatibus, ut & motibus Imperiorum, praesertim pluribus concurrentibus competitoribus, vel maximè fuit solenne, quod Regentes vel Competitores victi, aut ob tyrannidem, vel malam administrationem à suis dejecti, ne ulterior de iis metus esset, ad residuum vitae suæ custodiæ traditi sint, quorum exempla & Ecclesiastica & profanae recentent imò ipsorum quoque Pontificum historiae. Johannes enim XXIII. quem alii vocant XXII. in Concilio Constantiensi cum cæteris in schismate electis Pontificibus exauctoratus, & ad Perpetuos carceres condemnatus fuit; causam ipse indicare videtur, omnes admonens Magnates, ne potestate suâ abutantur, ut tradit Aventin. *in Chron. Bavar. lib. 8. fol. 412.* qui & ipsum tandem ex custodia Manheimensi 40000. florenis redemptum dicit, add. Hildebr. *Histor. univers. in vit. Sigismundi Imper. pag. m. 222.* Tröster *in Sueton. Pontif. in vit. Johannis 22.* Nicolaus V. Pontifex antea quoque contra dictum Johannem XXII. ab Imperatore Ludovico Bavaro constitutus, à factione Johannis reversò Imperatore ex Italia, captus Anti Papæ suo Avinionem missus in carcerem detrusus vitam peregit reliquam. Hildebrand. *d. l. p. 215.* Aventin. *d. l. fol. 398. b.* dicit, non rescitum amplius fuisse ubi venerit. Eodem fato obiit Leo V. qui à Ministro suo Christophoro, postmodum successore, Pontificatû ejectus & in carcerem detrusus præ mœrore mortuus legitur apud Autor, *Europaischen Herolds etc. vom Pabst fol. 1055.*

§. 23.

Vd 18

§. 23. Et ut minor metus redintegrationis superes-  
set, ejusmodi incarceratos interdum excācaverunt, quod  
Philippico Bardani, Imperatori Constantinopolitano con-  
tingit vid. *Matthiæ theat. histor. in ejus vitā p. m. 800.* Imo  
quidam ne fortè diuturnior spes mutationis partibus cap-  
tivorum, aut metus adversariorum duraret, in custodia  
morte violentiā præoccupati sunt, uti de Eduardo II. An-  
glia Rege apud Hornium *in orb. polit. part. 3. tit. de me-  
morabilib. Angliæ pag. 419.* & Cluver. *bist. un. in vit. Imp.  
Ludov. Bav. p. 508.* ut & de Richardo II. itidem Anglico  
Rege legimus apud Aut. Europæischen Herolds *tit. von  
Engelland fol. 675.* Neumair. *tr. von Steur und Schafun-  
gen cap. 5. n. 4. pag. m. 245* ex Serre *in Carolo .VI. Gall Reg.  
Mitiora experti sunt, qui ut relaxationem ex sempiternis  
his detentionibus impetrarent, juri suo prætenso, vel re-  
gno juratò renunciarunt, & adversarios pro legitimis ag-  
noverunt, inter quos est ob tyrannidem suam dejectus  
Christiernus II. Dania Rex circa annum 1559. vid. Europ.  
Herold. *tit. von Dennemarc fol. m. 730.* Etiam optimos  
Principes discrimina Electionum expertos hoc modo se  
liberare coactos fuisse, inter cœtera & Germania & Polo-  
nia exempla nobis dederunt, illa in schismate electionis  
Ludovici V. Imp. de quo Hildebr. *bist. univ. sub nō. 1314.*  
Aventin. *Boyrischer Chronica lib. 8. pr.* Autor *Histor. und  
Geographischer Merckwürdigkeiten in vita d. Ludov. V. qui  
Cuspinianum aliosque Autores allegat.* Hæc verò, Polo-  
nia nimirum, in disputata per arma electione Sigismun-  
di Sueci post annum 1586. qua de re Europ. Herold. *tit. von  
Pohlen f. m. 788.* Cluver. *bist. univ. sub vita Rudolphi II.  
Imp. p. m. 623.* Metteran. *bist. belgica lib. 14. in fin. & lib.  
15. in fin. Matthiæ bist. in vit. Maximil. 2. Imp. cap. 2. §. 4.**

§. 24. Insultationem fratrum & cognatorum alii  
 etiam Magnates hoc remedio coercuerunt. Ita A. C.  
 1190. Birgerus Rex Sueciæ fratres insultantes in turrim  
 eonfectos fame necasse scribitur apud Hornium *orb. po-  
 lit. part. 3. memorab. Suecia p. m. 387.* Otto II. Ele-  
 ctor Brandenburgicus stirpis Ascaniæ A. C. 1206. mortuus  
 à fratre Alberto bello invasus, hunc captum carceri man-  
 cipavit, sed cum se postmodum improlem videret, eum  
 iterum extraxit, & hæredem omnium suarum ditionum  
 fecit, notante Brotuffio *Geneal. Princ. Anhalt. lib. 2. cap.  
 71.* Item Sigismundus Marchio Misnensis, Episcopus  
 Herbiolenfis, depositò Episcopatu conspirationis con-  
 tra fratrem Electorem Fridericum Placidum insimulatus  
 A. C. 1443. custodia traditus & A. C. 1463. in ea mor-  
 tuus est vid. Müller *Annal. Saxon. sub dd. annis. adde ea  
 que habentur sub anno 1636.*

§. 25. Miltiades Atheniensium Dux navalis, cum  
 se in oppugnandâ Insula Paro adversariâ classe imparem  
 judicans, incensis operibus, quæ ibi fecerat cum omni-  
 bus navibus, cum quibus erat profectus, Athenas rever-  
 tere cogeretur à civibus proditionis accusatus, sed abso-  
 lutus nihilominus tantâ pecunia multatus est, quantam  
 in classem sumtus facti valerent, & cum hanc summam  
 50. talentorum solvere non poterat, in vincula conje-  
 ctus est ibique diem obiit supremum, Ejusque filius  
 Cimon, mortuò Patre eâdem custodia juxta leges Athe-  
 nienses detentus fuit, donec multam Parris cedendo pro  
 pretio alii uxorem suam realiter solverit, Cornel. Nepos  
*in vit. Miltiadis cap. 7. & in vit. Cimonis cap. 1. & 2.* quod  
 factum verò propter amborum horum Imperatorum  
 excellentia in Remplicam patriam merita inter exem-  
 pla

pla ingratiitudinis refert Valer. Max. l. 5. cap. 3. extern. n. 3. Et ipse Nepos in vit. Miltiad. c. 8. subjicit veram causam hujus condemnationis fuisse, quod, cum Miltiadis Autoritas in Republica excreferet, populus maluisset eum innoxium plectiqvam se diutius esse in timore.

§. 26. Ludovicus Barbatus, Dux Bavarus, cum filium suam naturalem Wilañdum de Freyberg magis aestimare putabatur, quam filium legitimum Ludovicum Gibbosum, istiusque socrerum Pro-Principem ditionum fecerat, itemque filius legitimus contra Patris voluntatem matrimonium inierat, inter Patrem & filium similitates exorta, & hic illum quasi non compotem mente custodiae tradidit eoque filio sine liberis mortuo Ludovicus Barbatus postea Henrico Bavaro successori traditus in carcere, non attentis precibus & intercessionibus Electorum Imperii Regisque Franciae continuato anno 1447. et. anno 82. mortuus est, qua de re plura memoria tradidit Aventin. in *Chronic. Bavar. lib. 8. fol. 410. Et seqq.*

§. 27. Nec facta haec custodiae perpetuae muliebri sexui pepercerunt; sic Maria Scotiae Regina, cum maritum Zelotem necari curasset, a statibus custodiae mancipata, sed cum effugisset in Angliam, iterum captivata, ibi, ne plura, quod videbatur, moliretur, tandem gladio plexa est anno 1587. vid. Europ. Herold. tit. von Schottland fol. m. 719. add. Matthiae. *bist. univ. in vit. Rudolphi II. Imp. fol. m. 1132.* Similiter Müllerus *Annal. Saxon. sub ad. 1593.* meminit, Principem aliquem Imperii conjugem ob confessatam impudicam cum nobili quodam conversationem perpetuae custodiae tradidisse, in qua per viginti annos detenta decessit.

§. 28. Nuperrimis novellis Viennensibus edo sumus

sumus Comitem aliquem Sereni, quod in notissima Tyr-  
 carum incursione anno 1683, facta hos & Tartaros proci-  
 torie per Hungariam ad terminos Austriae superioris usq;  
 Ems introduxerit ex gratia Caesarea ad perpetuos carce-  
 res condemnatum, nuperrimam incursione Bavarica e Rat-  
 tenberg arce Tyrolis, ubi haecenus custoditus tenebatur,  
 Graizam tractum ibique tandem Mense Novembri an-  
 ni praeterlapsi 1703. per sedecim annos ante obitum mu-  
 tum decedisse. Addimus tandem, quod Manlius Ca-  
 pitolinus Romae Regni affectati suspicione in carcerem  
 coniectus, sed populi consensu post liberatus, ejusdem  
 culpa iterum reus factus de Saxo Tarpejo praecipitatus  
 sit referente Plinio secundo *de Viris illustr. cap. 24. in vita*  
*Manlij.* Unde & apud Romanos hos perpetuos carceres  
 non plane inusitatos fuisse apparet, quod & Gothofredus  
*in marginalibus ad leg. 8. §. 9. lit. K, & m.* ex Cicerone  
 & aliis annotavit.

§. 29. Plura conglomerare superfedemus, tan-  
 dem hujus reminiscences facti, ubi multa mala & bella  
 excitavit transactio illa, qua Imperatori Carolo V. Phi-  
 lippus Hassiae Landgraffius reconciliabatur, cum verba:  
 nicht einige Gefangniß: cum iis: nicht ewige Gefangniß:  
 a quodam internuntio in expeditione mutata dicerentur,  
 qua de re historiae de ad. 1547. nobis plura recensent.  
 Cluverius *sub Carolo V. p. 604. Hist. und Geograph.*  
*Merckwürdigkeiten sub eodem p. 1332. Cernitius in descript.*  
*Elect. Brandeb. in vita Joachimi II.* In qua causa Land-  
 gravius responsio juridico excusatus fuit, quod defensio-  
 nem in carcere deducere non teneatur, extat hoc respon-  
 sum apud Philipp. Port. *Consil. 3. per tot.* quem allegat  
 Gylmann. *Symphorem. camer. al. part. 3. lit. C. verb. Capti-*

18



*vw.* Inde armis Mauritii Saxonis etiam liberatio ejus postulata, & relaxatus est Landgravius ad. 1552. vid. Cernitius *loc. alleg.* Cluverius *p. 605.* Dillichius *in Chronico. Hass. part. 2. in vita Philippi sub ad. 1552.*

§. 30. In hac carcerum perpetuorum materia ulterius notari meretur, quod mutatio & relaxatio horum pro re nata certis ex causis fieri possit, idque ab eo, qui superioritatem & jus agrandi habet & cujus jurisdictioni subest reus, per *cap. 12. X. de heretic. in 6to. Menoch. arb. jud. quest. lib. 2. cas. 374. n. 7.* quod etiam ex superioribus adductis exemplis passim innotescit.

§. 31. Item si alternativè condemnatus sit reus, vel lege, seu statuto alternativa constituta sit poena, v. g. fustigationis aut vinculorum perpetuorum, electio competit judici, nisi expressè verbalis sententiæ, seu legis, aut statuti sint directæ ad electionem rei. Menoch, *arb. jud. qu. l. 2. qu. 87. §. 94.* Monachus *ad cap. quoniam frequenter 5. X. ut lite non contestata n. 20.* Carpz. *pr. cr. qu. 133. n. 49. seqq.*

§. 32. Incarceratus autem talis seipsum alere tenetur, aut si propriis sumptibus non possit, actor, ad cujus instantiam reus est inceratus alimenta & salarium lictoris suppeditare debet, actore verò nihil etiam in ære habente, vel si non existente accusatore, inquisitoriè processum sit in causa, Magistratus, qui nimirum jura fiscalia habet, hæc de re prospicere debet *art. 176. Const. Crim. Car. V.* Carpzov. *pr. cr. qu. 37. n. 96.* Sed diversitas aliqua hic est in aliis arrestis simplicibus, ut & in carceratis ob debita in Schulds Thum ibi enim, si nec debitor habeat, unde se alat, & creditores de hoc prospicere nolint, Magistratus ad sustentationem non tenetur, sed reum dimittit. *Mavius de arrest. c. 25. n. 23. Moller. Semestr. lib.*

*lib. 1. c. 36. n. 1. § 2.* Ratio diversitatis est quia in hoc ultimo casu non publicus aliquis metus, aut periculum subest, sed interesse partis privatum, ad cuius instantiam & sumptus, solum huiusmodi incarcerationes & arresta indicuntur.

§. 33. Quæritur porro hic, an si arbitraria pœna sit statuta, iudicis arbitrium ad carceres perpetuos extendi possit? quod regulariter rectè negant Carpzov. *pr. cr. qu. 111. n. 57.* Menoch. *arb. jud. qu. lib. 1. qu. 89. n. 3. junct. qu. 88.* In pœnalibus enim in dubio sen per in mitiorem partem inclinandum & pœnæ mitiores sunt imponendæ *per cap. 49. X. de R. l. in 6to l. 155. §. 2. ff. de R. l. Maranta disp. 3. n. 6.* Sed cum in pœnis arbitrariis secundum qualitatem circumstantiarum delicti ad mortem usque iudex procedere possit, per text. *express. art. 112. §. 13. Const. Crim. Car. l. 9. pr. ff. de extraord. crim. l. 7. §. 3. ff. de Leg. Jul. repet. und. l. 22. Cod. ad Leg. Cornel. de falsis.* Schnobbel. *ad Digesta Disp. 24. §. 26.* Maranta *supr. alleg. Disp. 3. per tot.* Baro Schenk de Tautenberg *viridiar. conclus. concl. 93.* Obrecht *de jurisd. l. 2. cap. 10. n. 142. seqq.* quid vetabit, quin etiam, obvientiibus circumstantiis supra §. 18. §. 21. adductis, perpetui carceres, qui in *art. 101. P. S. D.* morti assimilantur à iudice arbitrante dictari possint, præsertim extante adjuvamento expresso in *l. 1. §. 1. ff. de effractor. & sæpè alleg. art. 176. Const. crim. Car. V.*

§. 34. Si verò alicui pœna carceris indefinite absque ullâ temporis mentione est indicta, concurrente gravitate delicti, perpetuum carcerem intelligi putandum est. *per l. 10. Cod. de pœn.* cum qua opinione etiam in simili relegationis nimirum pœnâ consentit Carpzov.

D 3

pr. cr.

*pr. cr. qu. 130. n. 16. Et seqq.* Et si ex *l. 23. ff. b. t.* aliud & quod indefinita locutio hic ultra decennium non extendenda videri possit; priorem tamen opinionem in regula magis fundatam sequimur, cum & alias id, quod tempus definitum non habet, perpetuum præsumi debeat *per l. 56. ff. de condict. indeb. l. 30. ff. de excus. tut.* Menoch. *arb. jud. qu. lib. 1. qu. 22. n. 2.* Barbof. *locupl. verb. Perpetuum axiom. 1.* Ne autem ansa dubitandi ex allegatis legibus differentibus ampliùs oriretur, non solum Constitutionibus Saxonice, ut refert Carpzov. *d. l. n. 20.* Sed etiam moribus omnium benè constitutorum Collegiorum receptum est, ut in sententiando, an temporalis an perpetua pœna diceretur, claris exprimat verbis, quod & juri Romano jam olim conveniens fuisse constat ex ipso textu *d. l. 23. ff. b. t. verb. Imperitia dantis.* In casu verò cum sententia ita formata, ut reus temporali carcere mit zeitlicher Gefängniß puniatur, sine appositione certorum dierum, hebdomadam, aut annorum, tunc arbitrium iudicis pro qualitate delicti ad summum ultra decennium progredi non potest, & hic *d. l. 23.* locum habere putamus cum Hartmanno Pistoris apud Carpzov *d. loc. n. 17.* quam interpretationem etiam tenet Glossa in proximè sæpius alleg. *l. 23.*

§. 35. Ad aliam jam progredimur quæstionem, quomodo nimirum procedendum sit cum iis, qui se pœnæ perpetui carceris vel custodiæ aut effringendo aut aliò modò subtraxerunt? ad quam respondet] Ctus in notabili *l. 28. ff. b. t.* quod gradus sint servandi & quidem ita, ut, qui in perpetuam custodiam damnati fuerant, in metallum damnentur; & si ulterius sese subducerent, summò afficiantur supplicio. Hodie, cum aliàs contra



contra effractores carcerum poena capitis in l. 1. ff. de effractor. statuta, ob solam effractionem non infligatur per tradita Carpovii. *pr. cr. q. 111. n. 90. seqq.* in nostro casu duriore & arctiore custodia & pro re nata porro quoque vinculis constringi possunt rei, imò si pluries repetita fuerit fuga & delictum vel metus sit talis, quo reus nullò modò publicè dimittendus & custodia non sufficiens invenienda, quin dispositione legis nostræ ad mortem tandem perveniri posse nullum habemus dubium.

§. 36. Plures dari possent in hac materia casus & dubia, sed cum maximè incident in materiam carcerum simplicium v. g. si de iudice competente eòque vel injustè carcerante, item de qualitate carceris & custodia, & quomodo fœminæ in iis tractari soleant &c. quæstio emergat, convenienter ex iuribus, quæ aliàs de carceribus constituta sunt decidi posse arbitramur, cum nos hâc vice terminos dissertatiunculæ nostræ transgredi nonimus, quibus solùm quæ legem nostram perpetuosque carceres in specie concernunt, tractare proposuimus.

§. 37. Adnotantes ad legem nostram 35. tandem pervenimus ad *Affinia* seu similes carceribus perpetuis coërcitiones & pœnas inter quas est (1) *Confinatio* quæ vinculis expressè æquiparatur in l. 9. ff. ex quib. caus. maj. 25. ann. & describi potest, quod sit pœna, quâ quis locum aut districtum certum egredi prohibetur ex l. 7. §. 8. l. 9. ff. de interd. & releg. Dn. Döpler *theatr. pœn. part. 1. cap. 22.* §. 1. vid. plura de hac P. H. D. *art. 161. ibique Comment. Besold. in verb. Bannung in zehenden add. l. 5. & 6. ff. d. tit. de interd. & releg.* Istius modi confinementis elegantissimum habemus exemplum in sacris 1. *Reg. 2. v. 36.* seqq.

seqq. ubi Simej à Rege Salomone ob crimen in Patrem Davidem commissum certa domus Hierosolymæ assignata ipsique transitus ultra flumen Kidron sub pœna capitis prohibitus fuit. Nec exempla ex profanis historiis deessent, sed ulterius vagari hic non convenit. Hujus loci autem *l. ult. Cod. de pœn.* occasionem nobis præbet investigandi, an iudex ultra fines suæ jurisdictionis, vel in locum sibi non subjectum possit aliquem confinare? ad quod respondemus ex *d. l. Cod. & l. 7. §. 6. ff. de interd.* quod non, nam jus extra territorium dicenti impunè non paretur *l. fin. ff. de juris d.* vid. Mantz, *decis. 100.* Et si moribus quorundam locorum, etiam Germaniæ usû sit receptum, quod rei periculosi obdammum evitandum aut ob commune reipublicæ bonum ad certam distantiam extra territorium, non amplius accedere prohibeatur, qua de re vid. Manzius *d. decis. 100. par. 101.* Besold. *thes. pract. ejusque continuator Dietherr. tit. v. n. 10. verb. über den Rhein oder die Thonau bannen.* Sed hoc magis accessionem ad fines prohibet, quam in certos fines includit ream, quod tamen fit in confinatione.

§. 38. (2) Affinitatem quoque aliquam cum nostra materia habet *destrusio in monasterium*, quæ est deventio delinquentis alicujus in arcto monasterio, ut per reliquum vitæ suæ tempus ibi pœnitentiam agat *cap. 6. X. de pœn. Dn. Döpler theatr. pœn. p. 1. cap. 25. de quædetrusione memoratu dignum notat casum ex Nov. 134. c. 10. Borcholt. et. de transact. cap. 3. n. 89.* quod Uxor adultera in monasterium deersa intra biennium, si condonare velit maritus, inde eximi & marito reddi debeat.

§. 39. (3) Huc quoque congruè refertur *Condamnatio in opus publicum*, quatenus nimirum est perpetuum, ut in *l. 8. §. 7. & l. 10. pr. ff. b. t. l. 1. & 2. Cod.*

cod.

*ead.* Cujus species aliquæ sunt Lautumia l. 9. ex quib.  
*caus. maj.* Calcaria l. 8. §. 10. ff. b. t. Sulphurarie d. l. & §.  
 Metallum d. l. 8. §. 6. 7. 8. & moribus hodiernis damna-  
 tio ad triremes, ad secandos lapides, inß Rappand Spiß-  
 Hausß / ad purgandas plateas, ad faciendas & reparan-  
 das fossas publicas, aliaque opera similia, de quibus in  
 genere vid. Dn. Döpler *theatr. pœn. p. 1. cap. 11. 12. 13.* &  
 27. Carpzov. *pr. crim. q. 129. n. 41. seq.* Besold. *thes. pr.*  
*lit. G. sub. verb. Auf die Galeen schmieden ibique Die-*  
*therrus.*

§. 40. [4.] Addimus *Obßagium*, quod carceris species  
 dicitur à Mavio *de arrest. c. 25. n. 33.* & est si quis debitor,  
 vel fidejussor ejus se obligat, quòd in casum non soluti  
 debiti in certo loco sese sistere, nec inde recedere velit,  
 donec de debito sit satisfactum. Idque de jure Canonico,  
 si juratum est, propter juramentum adhuc tenet per *cap.*  
*9. X. de jurejur.* aliàs in Imperio Romano nostro hoc pri-  
 mitus quidem bonò sine inventum, propter abusum ta-  
 men planè prohibitum per Recessum Imperii *de anno*  
*1577. tit. 17. §. penult.* Antoni de Freundeberg *de rescript.*  
*morat. conclus. 7. n. 10.* nisi quod in Holsatia Schlesvvi-  
 censi adhuc vigeat sub certis Constitutionibus istaque ob-  
 servantia probata & in suo vigore relicta est per Instrum-  
 pac. Germano Suec. *de anno 1654. §. 171.* videantur Lud-  
 vvell *ad Inst. Disp. 12. thes. 7. lit. f. Schulz. in Synops. Inst.*  
*ad tit. Inst. de action. lit. aa.* Carpzov. *part. 2. Const. 22.*  
*def. 30. & 31.* Besold *sub verb. Leistung ibique Diether-*  
*rus Struv. Sint. jur. Civ. Exerc. 47. tb. 41. Berlich. part.*  
*2. concl. 28. n. 106.*

§. 41. (5) Etiam jure Saxonico & passim moribus  
 obtinuit, quòd debitores qui non sunt solvendo, carce-  
 ribus

E

ribus

d. 18

ribus publicis in Schuld Thurn detineantur, donec integrum dissolvatur debitum, de quo modo plura tradit Moller, *semestr. p. 1. c. 36.* Berlich, *d. concl. 28.* Carpz *p. 2. Cons. 22* per omnes ferè definitiones Döpler *sep. all. tr. p. 1. c. 19. §. 8.* quo spectat tandem quoq; (6) Coercitio liberorum & aliorum hominū immorigerorum, vitiosorum, aliasq; leniori modo incorrigibilium in *domo disciplinari.* Zuchthaus, ubi pro qualitate genii per gradus emendatio illorum tentari solet, de quibus sapè citatus Dn. Döpl. *p. 1. c. 13.* Besol. *thes. pr. verb. Zuchthaus.* Sed has tres ultimas species huc eatenus referimus, quatenus nimirum interdum obdilatam in longius solutionem, vel ob continuam incorrigibilitatem ad finem vitæ usque reorum perdurant, & ita indefiniti temporis; Si verò in tempore vel respiscant, temporales sunt & desinunt conditione hac impletâ.

[OBJICIO.]

§. 42. Decisioni legis nostræ, qua perpetuus carcer prohibetur, opponi potest (I.) *cap. quamvis 3. X. de pœn. in 6to.* in quo expressè constituitur, quod carceris pœna in perpetuum, omnibus circumstantiis delicti providâ deliberatione pensatis, reo convicto infligi possit. Et (II.) *art. 101. P. S. D.* qui etiam clara locutione carceris perpetui pœnam approbat. Sed ad has duas objectiones antea §. 17. & 18. jam satis respondimus, quod videlicet hæc jura allegata secessum à jure civili faciant & hac in parte differentiam constituent. (III.) Obstare videtur *l. 10. Cod. b. t. cum l. 8. §. 13. ff. eod.* qui textus vincula perpetua perspicuè admittunt, ad quos, quia tantum deservis, tali pœna afficiendis loquuntur, sic respondemus, quòd lex nostrâ 35. locum non habeat in servis, intelli-

git

git enim liberum hominem. Et si quis instare velle, in lege nostra nullam fieri liberi hominis mentionem, sed potius generalem locutionem *ne qui* naturam suam & servum & liberum hominem significare. Confitemur & nos quidem, quod, ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debeamus per huc bene applicabilem *l. 2. §. 5. ff. de vi bon. rapt.* & quod semper specialia generalibus insunt *l. 147. ff. de R. J.* At cum lex una ex alia sit interpretanda per ea, quae tradit Barbof. *locupl. lit. L. sub verb. lex. ax. 28. ibique bene alleg. l. 15. ff. qui satisfacere cogantur.* & quod generalis locutio per specialem limitetur, seu ut alias loquuntur jura, generi per speciem derogetur *cap. 34. X. de R. l. in 6to* ubi Brunnem. in *Comment. n. 1.* praesertim in explicandis legibus & statutis hanc regulam locum habere ait *add. l. 80. ff. de R. l. ibique Decius fol. 114. §. 115. Bronchorst ad eandem.* Hinc lex nostra merito explicanda est per *l. 6. Cod. h. r.* quae clarè hominem liberum à perpetuorum vinculorum poena excipit, in homine verò servilis conditionis hanc admittit. (IV.) Etiam si differentia inter jus Canonicum & civile, atque inter mores hodiernos Imperii Romano-Germanici & inter leges temporum Justiniani & antea differentia vel dissensus admitti possit, tamen ulterius obesse videntur ea, quae supra §. 28. sunt adducta, quae perpetuorum carcerum coercitionem etiam apud Romanos insolitam non fuisse demonstrant, nec haec exempla inter abusus recenseri posse, apparet, quia hujusmodi damnationes à Senatu, Populoque Romano factae non sine jure factae videri possunt. Sed respondemus, non exemplis, sed legibus esse judicandum *l. 13. Cod. de sent. & in terloc. omn. jud.* & longè aliam subesse rationem in

his allegatis exemplis, ubi non iudex aliquis, cui leges, juxta quas iudicet, sunt præscriptæ, sed Senatus Populusque Romanus, qui ipsi potestatem leges ferendi habebant, in singularibus casibus & ex certis motivis hanc poenam irrogarunt, quod omninò potuerunt; Exinde tamen non inferitur, quod Romani hisce rarioribus planè & specialibus casibus quicquam legibus derogaverint, quia citra expressam mentem & suffragium legislatoris abrogatio legis non præsumenda *l. 32. §. 1. ff. de LL. cui accedit quod memorata exempla legibus, perpetua vincula prohibentibus, anteriora fuerint, ideoque his aliquid derogare non potuerunt; cum potius ultima derogare soleant prioribus, non priora posterioribus, si ambo stare simul non possunt. vid. Richter centur. Reg. jur. R. 100. [V.] Magis denique nobis efficere videtur commune illud juris brocardicum, ubi eadem ratio, ibi eadem juris dispositio; Atqui eadem ratio vincula perpetua infligendi fuit & potuit esse apud Romanos, quæ apud nos in Imperio Romano hodierno, nimirum, ut securitas habeatur de incorrigibili & temerario homine, quæ aliàs sufficienter præcaveri nequit, ut supr. §. 18. & 21. dictum fuit; Ergò dispositionem, perpetuos carceres permittentem leges Romanæ ex rationabili causâ meliùs & convenientiùs admittere potuissent, quàm prohibuissent. Ad hoc autem respondemus, quod à posse ad esse non valeat consequentia, & quod prædicta regula de interpretatione legum secundum rationes cesset in casibus expressè in iure decisis, ut hic. Postquam enim jus aliquod certo modò jam constitutum est, non amplius de ratione legis inquiri debet, alioquin multa ex iis, quæ certa sunt, inverterentur *l. 21. ff. de LL. Barbol. locupl. verb.**

ratio ax. 15. Everhard. in loc. leg. loc. 13. à simili n. i. Et Romani legislatores non obstricti fuerunt in ferendis legibus suis rationes aliorum sequi; nec inde injusta accusari potest eorum lex prohibitiva, quippe quæ aliam rationem status suæ Reipublicæ pro fundamento habuit, nimirum ne libertas, quam iste Populus tanti habebat, ullò modò infringeretur, uti §. 13. ostensum est. Addimus quod Populus Romanus, qui passim per terrarum orbem imperium suum longè latè que diffundebat, non caruerit aliis remediis coërcendi incorrigibilitatem & firmandi securitatem, cujusmodi erat deportatio in Insulam aut in loca alia longè disita.

§. 43. Sed hic sistemus gradum & sub invocatio-  
ne ejusdem Nominis Divini, quò cœpimus tandem  
quoque felicissimus nostræ differta-

tiuncula esto.

F I N I S.

COROLLARIA.

**I.** Pœna Regradationis der Zurückdienung  
in der Charge exemplum recentissimum  
nobis innotuit per sententiam in judicio militari  
Cæsareo contra officiales deditores Castri Hunga-  
rici, Altsohl dicti, pronunciatam Presburgi die 8.  
Jan. anni currentis 1704 tenore sequenti: **Din-**  
gegen wird N. N. Záhndrich von einer  
Freu. Compagnie zur Leopold-Stad / weil  
aus allen seinen Bezeugungen erhellet/  
daß er dieses / was ein Officier wissen solle/  
zur

zur Teif noch nicht bestehet / seiner Charge ein halb Jahr lang entsetzet und sein Avancement wieder von der Musqveten an zu meritiren schuldig seyn; qui modus puniendi non novus, sed antiquissimo jure jam cognitus, non in militaribus tantum *l. 12. ff. de custod. & exhibit. reor. l. 5. §. 1. & l. 13. §. 6. ff. de re militar.* sed in politicis aliis *l. 2. Cod. de comeatu lib. XII.* ut & in ecclesiasticis officiis usurpatus *can. mandamus 2. Caus. 19. q. 3. cap. 12. X. de Etate & ordine presic.* Est autem Regradatio, uti ex allegatis liquet, nihil aliud, quam translocatio ab altiori in humiorem honoris, aut officij gradum aut locum, potissimum in coërcitionem eorum, qui officij sui leges transgressi sunt.

2. Sorte supplicia dispensare inter ejusdem gradus meriti delinquentes, summæ æquitatis & gratiæ est & in jure nostro fundatum *l. 1. Cod. ad Leg. Jul. repet.* ut unius poena metus esse possit multorum, & proximè præteritò mente in præsidio militari hujus loci in facto vidimus justissimâ lance executam circa talem casum sententiam, quâ non omnes desertores milites indifferenter, sed duo saltem, ex quibus unus postmodum laqueum sortitus, sorti tesserarum subjecti; ceteri vero



verò defensionis fortè & mitigationis aliqualis circumstantias pro se habentes citra tortem spectatores tantum supplicii ad extraordinariam virgarum militarium pœnam damnati fuere, quæ circumspectio vel maxime commendata & probata in distributione pœnarum inter multitudinem delinquentium in *cap. 4. X. de cleric. excom.*

3. Etiam inter impuberes & cum impubere promissionem matrimonii validam contrahi posse, quæ tamen à ratificatione post pubertatem dependet *ex tit. X. de Desponsatione impub. in 6to* certum est; sed si pubes cum impubere jam septenni ita de præsentis contraxit, nec impubes intra annos pubertatis validè recedere, nec pubes, si modò impubes post pubertatem consenserit, ex sua parte pœnitere potest per *cap. 7. X. b. t.*

4. Vasallus à Dno. feudi, nisi simul sit subditus, obles dari nequit. *Vitriar. Instit. jur. nat. lib 3. c. 23 §. 58.*

5. In Successione feudi paterni agnatos, etiam Collaterales à primo acquirente saltem simul descendentes proximiores secundum gradus prærogativam semper succedere, palam est; proximior verò hic dicitur, qui ultimo defuncto postessori, non qui primo acquirenti proximior est, 2. F. 50. 6. Digni-

6. Dignitatem matris interdum filium nobilitare, constat exemplo filij Reginz hæreditariæ, de quo Hippolit, à Collibus *tr. de Nobili* §. 38. & ex consuetudine quorundam locorum, ut de provincia Indorum Malabar tradit Dellon in *Der Ostindianischen Reise-Beschreibung part. 1. cap. 32.* quem modum lege & consuetudine retè posse introduci ex Bartolo & aliis tradit

Fernand, Vasquius *de success. tom. 1. lib.*

2. §. 1. 4. n. 26.



ULB Halle  
005 355 346


3



vd 18







10

17

1704/4

pass

AUXILIANTE DEO SUMMO  
PERMISSU  
MAGNIFICÆ FACULTATIS JURIDICÆ IN  
PERANTIQUA GERANA  
PRÆSIDE  
VIRO PRÆNOBILI ATQVE CONSULTISSIMO  
DOMINO

JOHANN. HENRI-  
CO MEIERO,

ACTO, PROFESS. DECRETAL. PUBL. FA-  
CULT. JURID. SEN. JUDIC. PRO-  
VINC. ASSESS.

RESOLUTIONEM  
L. XXXV. ff. de Pœnis.  
SEU MATERIAM  
DE

PERPETUIS  
CARCERIBUS,

Examini Eruditorum publico  
submitit

JOH. WILH. von Schreter /  
AUTOR

In Auditorio Juridico Majori  
Die Aprilis, Hœris Solitis  
ANNO MD CCIV,



ERFORDIÆ,  
Litteris JOH. HENR. Groschy Acad. Typogr.

vd 18

